PAMFLET
1004 A

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

~~852 D 100~~

4

EPISTOLA MELETII PAPAE AC PATRIARCHAE ALEXANDRINI, &c. PRAESIDIS CONSTANTINOPOLITANI AD IAnum Douſam Nordovici Dominum ſuper obitu filij,

CONSOLATORIA;

Quam Georgius, defuncti Douſæ frater, poſt continuam quinquennij peregrinationem, una cum feſtiua codicum manuſcriptorum copia hactenus ineditorum Domum ſecum Conſtantinopoli redux attulit Prid. Idus Majas, Anni 1598.

HAGÆ-COMITIS,
Ex officinâ Alberti Henrici.
CIↃ. IↃ. XCVIII.

Pflt
1004 a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

LIBRORVM, QVOS G. DOVSA SECVM Conſtantinopoli advexit catalogus.

Actuarius.

Georgij Logothetæ de Conſtantinopoli á Latinis capta hiſtoria.

Novum teſtamentum Græcolatinum inmembranis.

Cyrilli in πεντάβιβλον *Homiliæ,*

Ioannis Zonaræ epiſtolæ.

S. Maximi Monachi opuſcula quatuor.

I. Chryſoſtomi Epiſtolæ in exilio ſcriptæ.

Gregorij Nazianzeni Homiliæ quatuor.

Mythologia Indica.

Alexandri Magni vita & res geſtæ.

Leonis Imp. Oracula.

ejuſdē de virtutibus agriculturæ ſiue de vitæ ſolitariæ inſtitutione 190. Capita.

Ioannis Tzetzæ Allegoriæ.

Pſelli Dioptra:

ejuſdem Ænigmata.

Heronis Alexādrini Automatica

Io. Zugomalæ, in laudem Lucæ Michaelis Cydoniæ Ducis, Oratio.

Templi Sophiæ deſcriptio.

Homeri Iliadis Metaphraſis.

Demoſthenes Hermodori Læſtarchi Annot. illuſtratus.

Artemidorus.

Omnia Græcè.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

MELETIVS

DEI MISERICORDIA

PAPA AC PATRIARCHA ALEXAN-drinus &c. Conſtantinopoleos Præſes, Ioanni Douſæ Nordovici, viro eruditiſſimo, mediocritatis noſtræ filio dilecto gratiam, miſericordiam ac pacem à Domino Deo, Salvatoreque noſtro Ieſu Chriſto.

HAbent nonnihil conſolationis humanarum rerum calamitates; quùm enim ad has nos detruſerit terreni elatio parentis; illá noſtros miſeratus labores cœleſtis elargitur Pater: atque hæc quidem harmonia è gravibus acutiſque concinnata, fit pijs auribus modulamen quoddam ſalutare: dum perpendunt gravitatem malorum pœnam eſſe aut παιδίαν noſtrorum, id eſt humanorum, meritorũ decentiſſimam: quicquid autem leve, id eſt lætum eſt, Divinæ eſſe gratiæ monumentum, abyſſo ab imo perditionis, atque è faucibus Orci ad ſeſe pios animos retrahentis. Sic lapſam, ſic labilem, ſic oportuit humanam naturam erudiri: non modo ut agnoſceret quid ſibi, quid Divinę gratię deberet; ſed etiã uti diſceret non ſibi, neq. rebus his caducis inhiandum, ſed ſpem, fidemque omnem, ſeſeque totam in cæleſtis favoris reclinandam ſinus optatiſſimos; cui omnibus in rebus cẽſet Paulus gratias agendas. nihilo enim minus per acerbiores, quam per lætiores rerũ eventus nos ſibi allicit ſummus ille Pater hominum, rerumq́. conditor; tametſi illas alienâ culpâ cõvictas, ſuâ providentiâ ad meliores uſus convertat:

has,ipſe pariat tum futurarum ἐπαγγελιῶν præconia,tum prę-ſentium qualiacunque ſolatia malorum. Sed hæc tuàne interſint,an aliena ſint penitus à tuo de filij optimi obitu dolore,ipſe (quâ præditus es prudentiâ) iudicabis: nobis quidem omni ex parte quam apprimè conveniunt: Quippe qui quum in hac verſemur teſſerâ humanæ conditionis, maioremque, atque fortaſſis potiorem vitæ partē traduxerimus; tandemque ſedes illas eccleſiarum quæ per orbem terrarum maximæ, atque ſupremæ ſunt, Dei, Opt. Max. miſericordiâ concreditas nobis,quam maximâ animi ſollicitudine, magnis laboribus, ingenti periculorum æſtu, in hac locorum ſentinâ, in hac colluvie temporum, ad hanc uſque diem magna omnium admiratione (præterquam noſtra) adminiſtraverimus, dum his tempeſtatū tricymijs penè ſoli conflictamur ſemiobruti,fit tamē ut nonnunquā peregrinorum hominum colloquijs animus, curis ęſtuans, laboribus confectus (corporis prætereo valetudinem adverſam quæ animos infeſtat) fit tamen ut peregrinorum hominum colloquijs nonnullâ ex parte refocilletur: nec me deterret à quorumvis hominum præſertim Chriſtianorum colloquijs, aut etiam litteris, diverſitas religionis; aut enim ſequeſtratis quæſtionum, curioſarum præſertim, ambagibus, per charitatis ſpatia vagamur; aut de his etiam de quibus diſſentimus,non ſine charitate diſſerimus. Horum omnium teſtem atque participem eſſe voluit Deus Opt. Max. Georgium filium tuum, cuius nobis adventus conſolationem attulit non vulgarem: eſt enim juvenis generoſæ indolis, nihiloque à Patre te,viro & ingenio & eruditione pereleganti, degeneris: adde mores candidos, progreſſuſque in literarum ſtadio non contemnendos: is ſecum attulerat literas eruditiſſimi hominis Simonis Simo-

nidis,

nidis, quibus juvenem commendabat: erant hæ altera conſolationis mihi pars: his omnibus accedebat autoritas graviſſima Illuſtriſſimi Oratoris Angli, Eduardum dico, humanitate, eruditione; rerum experientiâ politicarum vere illuſtriſſimum, filiũ noſtræ mediocritatis multis nominibus dilectiſſimum, per quem apud nos iuvenis commendabatur; ut cum ad has oras non inerti animi ſtudio peragrandas acceſſerit; darẽ operam ut aliquid dignũ laboribus ſuis; dignũ Patre, dignum Patriâ nanciſceretur. Has ob res opellam noſtram optimè merito juveni polliciti ſumus, atq́ue eò quidẽ libentius quòd videbamus vrbes hominum atque mores (id quod de prudenti viro cecinit ille) non inanis gloriæ ſtudio perſpiciendas aggreſſum juvenem; ſed ad prudentiam comparandam. Quam ad rem ſi quid illi noſtra contulit opera, neſcio, hoc unum ſcio quod juvenẽ amavimus, ſemperq́. libentiſſimè ſumus alloquuti; neque impedimento nobis fuit, aut hominum, aut rerum nonnunquam ingens prægraviſq́. conglomeratio: quin illi, & accedere, & aſſidere, & ſciſcitari, & conſequi quicquid petierit, quam facillimè licuerit; tandemq́ue cum ad te reverti cogeretur accitus, remq́ue nobis, qua ſolebat fiducia, veluti ad Patrem referret; literaſq́ue tuas penè lacrymis madidas oſtenderet (quùm etiam tuorum poematum copiam fecit non inelegantûm) peteretque ut aliquid reliquiarum impartiremur; ne juvenẽ ornatiſsimum ad ornatiſsimum patrem ἀγέραςον pateremur reverti; dono dedimus id quod effligitavit opus perelegans Actuarij, medicis in rebus non poſtremum obtinentis locum. Quod ego opus magno conſequutus orbi communicare deſtinâram: lætorq́ue hanc noſtri ſummam deſiderij & vobis futuram ornamento, & amoris noſtri argumentum: & ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

utilitatem ſtudioſorum prodituram: Quod ut quàm emendatiſſimum prodeat cupimus, prę̨ſtantiſſimi medici, atque eloquentiſſimi opus. Reliquú eſt ut hæc vos amoris pignora rependatis aliquibus identidē amoris pignoribus; non gemmis, non auro, perditorum hominum delicijs, ſed libris, quos typis apud vos multo atq. laudabili fœnore pepererit Chriſtiana charitas, cujus fructibus ij maximè carent, qui ſeſe Ariſtarchos Cenſoreſq. terrarum orbis haberi contendunt: indeq. Magiſterium ſuum auſpicantur, in hocque intendunt, in hoc ſe exercent ut in homines fratres minime fraternis animis inſultent: quumque calamitates hominum hominibus ſoleant ac debeant nonnihil incutere miſerationis; illi contrà de miſerijs hominum triumphant. O cæcas hominū mentes, ò pectora cæca. Filius Dei ſeſe ipſum ſua illa majeſtate exinanivit dum ſaluti conſulere hominum contendit: nos neſcio quæ imperia extruimus in perniciem, & cum pernicie hominum; & haberi volumus pro Chriſto, illo cujus ſtudijs noſtra ſtudia δὶς διὰπασῶν diſſonare deprehenduntur. Quod ſi in cauſas inquiras hujuſce in nos, neſcio quid aliud dicam quàm id quod res eſt, odij, in nos Gręcos dico, id eſt, Orientalis Eccleſiæ alumnos, quod veterum Patrum dogmata, traditiones, iuſſa, placita, decreta ſectamur, nihil invenies aliud quā id ipſum, quod Patrum incontaminata dogmata, traditioneſque obſervantes nullis nullorum hominum novitatibus καινοτομίαις falſis, fallacibuſque doctrinis abduci patimur ab ijs decretis quæ ſeptē tota Concilia vniverſalia (ut Provincialia præteream) ſanxerunt, Symbolum quod à Primo Niceno concilio confectum ſecunda complevit Synodos, accuratiſſimè ſpiritus ſancti explicato articulo, inviolatum conſervamus. Athanaſio falsò adſcriptum ſymbolum,

cum

cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius conteſtamur. Romanum Pontificē, Romanum agnoſcimus Pontificem. Chriſtum unum vniverſalis Eccleſiæ vniverſale caput cum Paulo prædicamus. eundem eſſe lapidem illum angularem σιονίτην, in quo conſtruendam eſſe Eccleſiam ipſe dixit, ipſum ex ipſius verbis agnoſcimus. καὶ ἐπὶ ταύτην namque ait, τὴν πέτραν (ἡ δ' ἐ πέτρα Paulus dicit ἦν ὁ χριστὸς) neque enim in te Petro, ſed in me (ut vigilantiſſime diligentiſſimus notat Auguſtinus) ædificabo dicit Eccleſiam meam. Hæc quum ita credamus, neſcio quam ob rem audeant nonnulli (id quod ſatis impié fecit Sanderus) Eccleſiam Orientalem Cum Diaboli eccleſia (ò ſcelus infandum) coniugare. Ita ſunt animis parum Chriſtianis quæcunque non faciunt ad palatum, quæcunque non arrident, impia, ab ſinuque Dei eijcienda, ab Eccleſia proſcribenda, ferro flammiſque profliganda. Sed de hiſce rebus ſatis ſit, ne etiam literæ quas ad amicos ſcribimus aliquo officio exhilarandos, ac dulcorandos, recordatione noſtrarum ærumnarum aliqua ex parte conturbent. Deus Opt. Max. tandem aliquando extinguat malarum cupiditatum ab animis hominum hęc incendia; diſſidiorumq. Eccleſię tenebras diſijciat: noſque omnes nobis ipſis ereptos afflatu Divini ſpiritus ſibi arctiſſimè coniungat. nec diutius patiatur diſſidere homines, ad quos cum inter ſe mutuo, tum ſibi pariter uniendos filium ſuum è cælorum majeſtate, ad terrarum infimas oras deſcendere voluit. Optimè Valeas. Conſtantinopoli x. Kalend. Novembr. anno mundi 7mo. 9mo. vIto. Salutis M, D. XCVII.

Meletius Patriarcha.

Exemplum.

Exemplum Literarum (in quibus ſuperioris Epiſtolæ expreſſa mentio) ad eundem DOVSAM Byzantio miſſarum ab Illuſtri Viro Domino EDVARDO BARTONO, Sereniſsimæ Britanniarum REGINÆ apud Turcarum Imperatorem Legato: Cum hac Inſcriptione:

Nobiliſsimo & doctiſsimo viro Domino IANO DOVSÆ, *Domino in Noortwijck plurimum obſervando.*

Multum Ill^{tris} Domine:

EFflagitavit à me egregius juvenis, Georgius DOVZA Ill^{tris}. tuæ Dom^{nis}. filius, ut aliquid literarum ad tuam humanitatem darem: & quamvis eius votis non facile ſatiſfacere poteram, propter barbariē huius regionis, in quâ per quindecim continuos annos verſatus, literarū prorſùs ſum oblitus, tamen propter excellentiā animi tui ſeculi huius noſtri doctiores facile ſuperantis, retraxi ruginatam pennā eo uſque quo ad ſaltē charitatis gratiâ, & prò obitu filij tui conſolandi ſolamen aliquod expoſtulaſſet. Egò verò patris prò filio mortuo mæror quantus ſit ignorans, quū ipſemet pater non fuerim, naturæ tamē ordini cōveniens judicavi; præſertim quùm ea ſit Divina voluntas omnia gubernans, ut prior ille tuus filius (mundi ſcilicet Luna) priùs occūberet, quàm ſecundus iſte juvenum, Literatorū Sol, ex Oriente progreſſus partes illas Occidentales poſſet illuſtrare. Quū igitur Mundi huius talis ſit ordo atq. conditio, ut occumbente uno oriatur alter, debemus alacriorē ſpem habere occūbentes reviſendi, quàm mundi iſtius fragilis incertis gaudijs fruendi. Quo nomine & ſenſu novi beatiſſimū PATRIARCHAM Conſtantinopolitanū, mihi Patrē percarum, filij

verò

verò tui peramantem; longioribus Literis Dominationi tuę Ill^tri^. literatiſsimè exaraſſe. Cuius ſapientiam cùm multùm reverear, & prudentiæ tuæ multùm confidam, rudium mearum literarum finem abruptum apud tuam humanitatem excuſatum fore non deſpero. Tuam verò Dom^nem^. Illuſtrem feliciſsime valere exopto. Conſtantinopoli x. Novembris, A. 1597.

Dom^ni^. tuæ Ill^tri^. addict^mus^.

EDVARDVS BARTON

Orator Anglus.

TYPOGRAPHVS LECTORI S:

NE cui autem tanta Latinæ Linguæ peritia in homine præſertim Græco ſcrupulum inijciat; is ſcire debet Patriarcham iſtum Alexandrinũ, more Gręcæ nationis hominibus non inſolito, iam inde à puero ſedem ac magiſtrã ſtudiorum Pataviũ habuiſſe: inibiq. per omnem honeſtarũ artium cultum bonam adoleſcentiæ partem tranſegiſſe: non ut literarum ſpecie ſegne otium velaret, ſed verò ut animum ſolidis humanæ pariter ac Divinæ Sapientiæ præceptis imbutus rerum gerundarũ uſui ſufficeret. unde porrò factum, ut per omnes honorum gradus evectus ſupremũ hoc tandẽ in Orientali Eccleſiâ Pontificatûs culmen, publicis municipalium ſuffragiorũ calculis probatus, conſcenderit. Atque eius rei præſentiſſimum hoc Teſtimonium Conſtantinopoli domum ſecum attulit Georgius DOVSA. Cuius oculatæ fidei inſuper aſtipulatur Auctor Epiſtolæ illius, Viennâ Auſtriacorum Cal. Oct. Anno Salutis 1582, ad Cl. V. Davidem CHYTRÆVM tranſmiſſæ: quæ *Hodæporicon*

B *naviga-*

navigationis ex Conſtantinopoli in Syriam, Paleſtinam, Ægyptum & montem Sinaï &c. inſcribitur. Eam verò ſub finem Chronicorum Turcicorum Tomo ſecundò à Iohanne Wechelo A. 1584. Francofurti typis publicatam reperies. Ex quâ ſequentis Elogij particulam, propriè ad MELETIVM noſtrum ſpectantis, haud alienum viſum fidei causâ excerptam hoc loco lectitandam proponere; Ea porrò ſic habet.

Tranſeuntes poſteà denuò Nilum, ſex horarum ſpatio Alexandriam terreſtri itinere pervenimus: ubi per octo dies ſubſiſtentes & Vrbis percelebris ſitum aliáque memoratu digna perluſtravimus.

INterim quoque acceſſi MELETIVM *Protocingelum Calogerum Græcum, & Montis S. Catharinæ (ità Monaſterium vocant) Fratrem: Virum & ſcientijs humanis, & literis ſacris admodum eleganter doctum; Latinè pariter & Italicè loquentem; unicum inter doctos, quos in hac peregrinatione videre licuit, iudicavi aptum, quocum H. tua amicitiam iniret, cuique oblatâ occaſione ſcriberet. Nam & ipſi, uti ad Hum. tuam literas daret perſuaſi. id quod fecit: quamvis (uti ipſe per ſchedulā mihi retulit) præ temporis anguſtiâ tumultuario ſtylo. Eas igitur Literas mitto, atque H. tuæ gratas fore arbitror, cum propter viri doctrinam, tum maximè propter vitæ & morum modeſtiam, atque in conferendo ſuavitatem. Arbitror autem hunc virum tantum ſcientiarum habere, quantum homo Græcus hodie habere poſſit. De fide ſuâ is quidem valdè ſubtiliter diſſerit, ſed tamen ità, uti omnia ſincero & puro animo, abſque ullâ bile loqui & ſentire videatur. Ipſi promiſi me Byzantio miſſurum eſſe librum, quem H. tua de Lectione Hiſtoriarum conſcripſit: id quod feci: ipſique gratiſſimum fuiſſe compertum habeo. Et hæc de Protocingelo viro doctiſſimo, qui & Alexandrinus Patriarcha ſperatur crediturque futurus.*

Plura

Plura de tanti viri virtutibus ac multiplici doctrinâ ſcire qui volet, eum verò Dialogum quendam Orthodoxi Chriſtiani titulo ab eodem MELETIO Græcè ſcriptum, ac non ità pridem Vilnæ impreſſum editumque, adire melius eſt; cui eiuſdem Patriarchæ Vita præmiſſa: item alterum ipſius Libellum contra Iudæos & Græcâ pariter & Rutenicâ Linguâ Leopoli typis excuſum. quorum utrumque & PAPÆ pariter & PATRIARCHÆ Alexandrini Titulum diſertè præferre, eſt in confeſſo: atq. adeo utriuſq. opuſculi inſpiciundi copiam ſi voles, à Georgio DOVSA petas licebit. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Have, mi Lector, ac Veritati oculatâ fide ſubnixæ patrociniũ ne denega adverſus Carpocratiſtarum quorumdam Sycophantias, quos ſupercilio triſti & gradu ad ſupplantandam Veritatem compoſito cum fibulâ incedentes ſemper, ac Tyrannidem ſuam ſub perſonâ occultantes videas; *Introrſùm turpes, ſpecioſos pelle decorâ*: prorſùs Hiſtrionicum in morem. Eos dico, qui ſpecie inanium validi, ac plæriſque grati vecordi facundiâ, animis plus ſatis credulis ſubdolè obrepunt, ac vulgo inſinuant ſeſe; clandeſtinis primùm ſuſurris (ut vetita ſolent) mox vago rumore apud imperitiſſimi cuiuſq. promtas aures; aut rurſùs apud novarum rerum avidos, & qui odio præſentiũ mutari omnia ſtudent: nihil penſi habentes, dum modò reperiant quibus fucum faciant ac glaucomam ob oculos obijciant. Obliti (ſicuti apparet) Veritatem viſu & morâ, falſa contrà impetu atque incertis valeſcere: mentiendo, & calumniando, turbaſque ex turbis ſerendo magni facti. Quod genus hominũ in Republicâ noſtrâ & vetabitur ſemper, & retinebitur. Atque ego ipſos rem factam propediem habituros auguror, ſiquidẽ judicatum fuerit, MERIDIE NON LVCERE.

In Fabu-

In Fibvlatos neſcio quos Carpocratis Hæretici ſectatores, qui Patres ſeſe indigitant, & quidem Paterrimos.

Odi ego Carpocratas: odij quæ cauſa, rogatis?
Sæpe Solœciſmum Fibula veſtra facit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1004a